Zagajowski Ambrosii: Theses de Analogia.

ANALOGIA.

Directa.

ANalogia Directa importat ipsamet Præcepta iuxta quæ omnia Analogata regulantur. Et iuxta modum definiendi Aristotelis Analoga, dicuntur quorum nomen est commune, Ratio verò substantiæ nomini accommodata, partim est eadem, partim diuersa. Analogata ad tres modos reducūtur. 1. Ad Analogiam Inæqualitatis, cuius Analogata habent nomen commune & Rationem eandem inæqualiter tamen participatam, secundùm perfectionem in inferioribus repertam. 2dò. Ad Analogiam Attributionis, cuius Analogata habent nomen commune, & Rationem eandē cum diuersitate habitudinis ad terminum. 3tiò Ad Analogiam Proportionalitatis, cuius Analogata habent nomen idem, & Rationem eandem secundùm Proportionem.

Analogi Proprijssima Diuisio fit, diuidendo signata eius, in ipsa Analogata per diuersos modos, quibus Analogi Rationē proportionalem Analogata diuersimodè suscipiunt: ita quod Diuisum est signatum vnum proportionaliter: Diuidentia autem sunt modi fundantes in Analogatis Proportiones proprias, secundùm quas fit Analogia: constituta autem per Diuisiones vt partes subiectiuæ sunt ipsa Analogata.

Analogia habet Abstractionem solùm penes carentiam Expressionis suorum inferiorum. Et ideò Analogia Proportionalitatis formaliter talis, habet vnum conceptum omnibus Analogatis communem, confusum tamen & imperfectum & includenrem in actu licet non explicitè omnes Analogatorum Rationes. Jam verò Analogia Attributionis & Proportionalitatis Metaphoricæ importat plures conceptûs secundùm quòd dicunt habitudinē ad alterum.

Analogiæ tres Causæ communiter assignantur. Prima Dependentia, dicens ordinem secundùm priùs & posteriùs, independenter & dependenter, Simpliciter & secundùm Quid, in participanda aliqua Ratione communi. Secunda est Inæqualis Participatio alicuius Rationis Communis, quæ sine Dependentia reperiri potest. Tertia est Transcendentia, quæ adæquatè sumpta, & actu includit, & includitur in omnibus sibi inferioribus, tàm in Differentijs, quàm in modis.

Reflexa.

1. ANalogia Reflexa est ipsiusmet Analogiæ Directæ, reflexa consideratio & Scientia: vnde de Analogia Analogicè discurrendum est, ideòq; Analogia Reflexa ad Analogiam Inæqualitatis, Attributionis, & Proportionalitatis, Analoga est, vtraq; Analogia tā Analogiâ Proportionalitatis, quàm Analogiâ Attributionis. Analogia quidem Proportionalitatis, quia sicut v. g. Substantia habet se ad suum esse, sic & Accidens habet se ad suum esse, ob seruatam Proportionem: ita à pari. Analogia Attributionis habet se ad sua Analogata, sicut Proportionalitatis ad sua: Jam verò Analogia Attributionis Analogia Reflexa, dicitur talis, tanquàm membrum minus principale Analogiæ Reflexæ, comparatiuè ad Analogiam Proportionalitatis.

2. Analogiæ Reflexæ proprijssima Diuisio, pro Diuiso importat Rationem in Actu signato, nec partim omninò eandem, nec partim diuersam, sed proportionalem. Diuidentia verò sunt, Intrisecum Proportionale, & Extrinsecum Cōnotatiuum, ex quibus Analogiæ Proportionalitatis & Attributionis habent, quòd diuersas Analogiæ Reflexæ rationes subintrēt. Partes autem subiectiuæ sunt res Proportionalizatæ & Attributionalizatæ.

3. Analogia Reflexa habet Abstractionem penes Carentiam Expressionis suorum Analogatorum, & secundùm Conceptum Analogiæ Proportionalitatis habet vnum conceptum, communem, confusum & actu includentem, implicitè tamen suorum Analogatorum Rationes. At verò secundùm Conceptum Analogiæ Attributionis plures importat conceptûs habitudinum diuersitate differentes.

4. Analogiæ Reflexæ & vt communi tribus modis, benè assignari potest Causa partim Dependentia cum per prius conueniat Proportionalitati & secundariò Attributioni: partim Inæqualis Participatio cum simpliciter de vna & secundum quid de altera prædicetur; partim Transcendentia propter quam Ens Analogum cum sit, à fortiori ipsa Analogia Reflexa est magis talis.

A N A L O G I A

Vniuoca ſeu Analoga Phyſica.

1. VNiuoca habent nomen commune & Rationem omninò & ſimpliciter eandem, ſine vlla diuerſitate, omnibus ſuis inferioribus intrinſecam & immultiplicatam, ideóq; omnia Uniuocata ſunt idem ex parte formæ indiuiſibilis.

2. Una eſt omnium Uniuocatorum habitudo & Conſequenter omnia Uniuocata participant in eadem Definitione æqualiter: Eorum enim vna eſt Definitio, quorum vna eſt Natura. In ipſaque Ratione Uniuoca maior eſt conuenientia Intenſiuè, quam ſit in Ratione Tranſcendenti.

3. Uniuoca habent vnum conceptum Diſtinctum & perfectum, Potentialiterq; importentem omnia inferiora; ideóq; Uniuocum prædicatur vt ſuperius perfectè abſtractum, cōparāturq; inter ſe tanquam extrema componentia, quæ ſe inuicem excludunt tanquā aliud & aliud, ac per hoc talis conceptus non eſt ſimplex.

4. Uniuoca dicuntur intrinſecè talia denominatione fundamentali & cauſali, à ſimilitudine ſeu vnitate Conformitatis, ſed formalem denominationem habent ab vnitate Identitatis ſeu Cauſa formalis Uniuocorum eſt Unitas Identitatis.

5. Uniuoca ſupponunt Diſtributiuè pro omnibus ſuis inferioribus; ideòque aſſumuntur pro medio Demonſtrationis, cùm in qualibet Præmiſſarum ſiue ex parte Prædicati, ſiue ex parte Subiecti eodem ſe habeant modo.

Analoga Proportionalitatis ſecundùm Rem & Intentionem ſimul.

1. ANaloga Proportionalitatis habent nomen commune, & Rationem eandem Proportionabiliter, ſibi intrinſecam & multiplicatam, ideóq; omnia Proportionalizata non ſunt idem nec ex parte formæ, nec ex parte Materialis.

2. Una eſt omnium Proportionalizatorum habitudo proportionaliter, ſed multiplex realiter, & Conſequenter Definitio vnius non poteſt ingredi Definitionem alterius Proportionalizati, Ipſaq; Proportionalizata, in Ratione Proportionali maiorem habent conuenientiam Extenſiuè, quam ſit in Ratione non Tranſcendenti.

3. Proportionalia, habent vnum conceptum Confuſum & imperfectum Actualiterq; implicitè includentem rationes ſuorum inferiorum Analogum Proportionale prædicatur vt ſuperius imperfectè abſtractum, nec comparatur ad ſua inferiora tanquam aliud & aliud: ac per hoc talis cōnceptus non eſt compoſitus.

4. Proportionalia, dicuntur intrinſecè talia denominatione fundamentali & cauſali, à ſuis formis particularibus: ſed formalem denominationem habent ab ipſa forma communi & eadem proportionabiliter, ſeu talis Cauſa formalis Proportionalitatis eſt Tranſcendentia omnimoda.

5. Proportionale ſupponit confuſè Diſtributiuè, pro omnibus ſuis Analogatis, ideóq; benè poteſt eſſe Medium Demonſtrationis, vt potè vnum Proportionabiliter æqualiterq; diſtribuitur ſecundum aliquid intrinſecum.

6. Vniuoca & Analoga Proportionalitatis materialiter coincidunt, & plerumque iiſdem terminis proferuntur, ratione vicinitatis.

COMBINATA.

Analoga Attributionis ſeu ſecundùm Intentionem tantum,

1. ANaloga Attributionis habent nomen commune & Rationem eandem ſecundum Terminum ſuæ Dependentiæ, cum diuerſitate reſpiciendi ipſum, minus principalibus Analogatis extrinſecam, immultiplicatam, ideòque Analogata eius ſunt vnum tantùm ex parte formæ.

2. Attributionalizatorũ plures ſunt habitudines, inter ſe dependentes inæquales, & conſequenter Definitio magis Principalis Analogati debet ingredi Definitionem Analogati minus Principalis. Unde ipſorum Analogatorum Conuenientia eſt parua cum nec ſit Intenſiua vt in Uniuocatis, nec ſit extenſiua, vt in Proportionalizatis.

3. Attributionalia habent plures conceptûs cum aliquo tamen ordine: neç vnus ab illis eſt abſtrahibilis, quia habitudo plurium ad vnum in exercitio, non poteſt repræſentari, niſi repræſentatis extremis. Conſequenter Analogum Attributionale non prædicatur vt ſuperius quid, nec comparatur ad ſua inferiora alienatiuè, ad componendũ.

4. Attributionalia dicuntur intrinſecè talia denominatione fundamentali & cauſali, à formis intrinſecis, ſed denominationem formalem Extrinſecam realem habent ab ipſa Forma ſibi Extrinſeca in principali Analogato intrinſecè inhærente, ſeu Cauſa Analogiæ Attributionis eſt partim Inæqualitas, partim Dependentia.

5. Attributionis Analogum per ſe ſumptum, ſtat pro famoſiori Analogato, principaliter & determinatè importato; pro alijs autem ſecundarijs ſtat ſecundariò, ideòq; non poteſt eſſe Medium Demonſtrationis.

Æquiuoca ſeu Analoga à Caſu.

1. ANalogata à Caſu vulgò Æquiuoca habent nomen commune, & Rationem in Specie, & Genere proximo, omninò diuerſam, multiplicatam re, ideòq; Æquiuocata non ſunt idem nec ex parte formæ, nec ex parte materialis.

2. Omnes habitudines Æquiuocorum ad ipſum nomen Æquiuocum tanquam ad terminum, ſunt inter ſe independentes & Conſequenter vt ſtant ſub nomine Æquiuoco, vnum non requirit alterius cognitionem.

3. Æquiuocata habent plures conceptûs, ſine vllo ordine, ideòque impoſſibile eſt, poſſe ab illis abſtrahi vnum, ſicut impoſſibile eſt plura vt plura ſunt, ſimul cognoſci. Conſequenter Æquiuocorum non eſt Superioritas, aut Componibilitas, ſed maxima Alietas.

4. Æquiuocata dicuntur intrinſecè talia denominatione fundamentali à ſuis fundamentis, ſeu formis vt omninò inter ſe diſſimilibus, ſed formalem deuominationem habent ab ipſo vocis Æquiuocæ termino, ſeu formalis Cauſa Æquiuocationis, eſt ipſius vocis Æquiuocà ſignificatio.

5. Æquiuocum immediatè plura ſignificat ſine omni conuenientia & ordine, ideòque nullo modo poteſt eſſe Medium Demonſtrationis, cum in qualibet Præmiſſarum, ſiue ex parte prædicati, ſiue ex parte ſubiecti, non eodem ſe habeat modo.

6. Analoga Attributionis & Æquiuoca coincidunt materialiter, & plerumq; pro eodem ſumuntur ratione approximationis materialis.

ANALOGIA.

THEOLOGICA.

1. ENs Diuinum & essentialiter tale, in ordine ad omnia quæ sunt in DEO est Analogum sola Analogia Proportionalitatis: Analogia autem Attributionis, Diuinis attribui nequit cum omnia in DEO sint Intrinsecè DEVS.

2. Entis Diuini Diuisio in Absolutum & Relatiuum, non est similis Diuisioni Entis Creati in Substantiam & Accidens cùm in Creatis Substantia & Accidens vnam Quidditatem non constituant; at in DEO Ratio Entis Absoluti est de Quidditate Diuinarum Relationum, & Relationes Diuinæ sunt de conceptu essentiali Diuinitatis.

3. Ens Diuinum habet Abstractionem per Carentiam expressionis Absolutorum & Relatiuorũ. Similiter Ratio formalis Personæ in communi, respectu huius Personæ Diuinæ & alterius, non dicitur vniuocè de Personis Diuinis, propter intimam inclusionem, quam ad inuicem dicũt Persona & talis Persona, Relatio & talis Relatio. Vnde sicut ex conceptu Entis & Differentiæ, est conceptus simplicissimus, cum sola discretione penes implicitum & explicitum, ita ex Persona & ex tali Persona, est conceptus simplicissimus.

4. Ens Diuinum vt Analogum est Proportionalitatis, suæ Analogiæ vnicam & adæquatam habet Causam. s. solam Transcendentiam actu includentem sua Analogata & actu in illis inclusam. Inæqualis autem Participatio aut Dependẽtia omnino exulãt à Diuinis.

5. Aliæ omnes Diuisiones, quæcunq; in materia Theologica dicuntur de DEO, aut ex parte Entitatis Diuinæ, aut ex parte actus Diuini, Originatiuè increati, licet Terminatiuè Creaturas attingentis, omninò dicendæ sunt Analogæ. Licet autem DEVS sit summè vnus, attamen Vniuocatio non est dabilis in DEO.

METAPHYSICA.

1. ENs vt sic ad DEVM & Creaturas ad Substantiã & Accidens, ad Ens Reale & Rationis, vtrâq; gaudet Analogia, vnde attenta Analogia Attributionis, Creatura per ordinẽ ad DEVM, Accidens ad Substantiã, Ens Rationis ad Reale, sunt Entia Extrinsecè, attenta verò Proportionalitatis sunt Entia Intrinsecè.

2. Entis creati Proprijssima Diuisio Analogica, in Substantiam & Accidens, pro Diuiso habet Ratione Entis nomine significatã, quæ in se omnes Entis nomine signatas Rationes claudit, vt potè vna proportionabiliter. Diuidẽtia sunt Substantiuum & Mensuratiuũ, ex quibus Substantia & Accidens, habent diuersas Entis Rationes subintrare. Constituta autem, seu partes subiectiuæ, sunt Substantia & Accidens quæ in Entis Ratione analogantur.

3. Ens Reale vt sic, habet abstractionem penes carentiam Expressionis inferiorum Immediatorum & Mediatorum: & ideò vt Proportionale non habet conceptum præcisum, ob impedimentum Transcendentiæ. Quocirca M. Ortiz admittens vnum conceptum Entis præcisione Negatiuâ perfectè præcisum, omninò tamen Analogum, explicandus est, in tali conceptu solam reperiri Transcendentiam inadæquatè sumptam, id est Rationem Entis inclusam in inferioribus, non autem actu includentem sua inferiora.

4. Ens Reale suæ Analogiæ habet Causam partim Dependentiam Creaturarum à DEO, Accidentis à Substantia, partim Inæqualem participationem cùm simpliciter sit in vno, & secundùm Quid in alio: partim Transcendentiam omnia penetrantem.

5. Entis Realis Proprietates cùm æquè pateant ac ipsum Ens, vtramq; respectu suorum inferiorum importare debent Analogiam. Vt patet in bono respectu Honesti Delectabilis & Vtilis. Vniuocatio autem omnis, longè ab ipsis remouetur.

LAVS DEO.

Disputabuntur in Generali Studio Cracouiensi Conuentûs Sanctissimæ TRINITATIS, Ordinis Prædicatorum. Obiectis satisfaciet Religiosus F. AMBROSIVS ZAGAIOWSKI, Sub Præsidentia R. P. F. DOMINICI FRYDRYCHOWIC, S. Th: Lectoris, & in eodem Studio Metaphysices Professoris, Ord. Prædicatorum. Die Mense Iunio. Anno 1681.